



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinqve Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

De origine Congregationis Eremitarum S. Romualdi, qui aliter Grotani, siue Montis Coronæ Eremit[a]e vocantur. cap. XXX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

*De origine Congregationis Eremitarum S. Romualdi,
qui aliter Grotani, siue Montis Coronæ Eremitæ
vocantur. Cap. XXX.*



No circiter Domini 1520. incepit Congregatio Eremitarum S. Romualdi, siue Montis Coronæ, qui in nullo à Sacræ Eremi consuetudinibus differunt, nisi quod Palliū, Cuculli loco semper gestent. Excitata autem fuit huiusmodi Congregatio à Paulo Iustiniano, quondam Patritio Veneto, & Eremita Camaldulensi, qui altiori, & feruentiori desiderio inflammatus, accumulandi Deo gloriam per Sanctæ Camaldulensis solitariae vitæ studium, litteras à Sancta Sede Apostolica impetrauit, vt ubicunque terrarum ipsam Camaldulensem Religionem dilatare sibi liceret, sicut ex Diplomate liquet, dato mense Augusto 1520. Habitauit autem Paulus primum, cum quodam Oliua conuerso ad S. Hieronymi de Pascialupo Diœcesis Eugubinae, deinde apud Oppidum Massacium, quarundam speluncarum habitator factus, suæ Religionis & Congregationis fundamenta iecit, quæ à speluncis, & grotis, Grotanorum, siue Montis Coronæ, Eremitarum denominationem accepit. Obijt Paulus ad Eremum S. Orestis, anno Domini 1528. vbi & sepultus est mense Augusto. Vir doctus cum fuisset multa Volumina à se edita posteris reliquit, quæ pro maiori parte, in ædibus Francisci sui nepotis Patritij Veneti asseruantur.

Præcedentis Congregationis scriptores.

Cap. XXXI.

DONNVS Lucas Hispanus, Monachus, & Eremita Camaldulensis Congregationis Montis Coronæ, his nostris temporibus, scripsit de Origine Congregationis suæ, lib. 5. excusos Latinè in Eremo Montis Vendæ: & Italicæ Venetijs apud Nicolaum Misserinum. 1590. in 8.